

1599. Stephanus Bocskai et Demetrius Napragi cancellarius mittuntur ad imperatorem Romanorum, ut transigant ac de pace agant, quae cum Turca ineatur.

Antequam autem illi redissent, Sigismundus conscribit comitia ad
 5 Dominicam Palmarum generalia. In istis comitiis nihil agitur memorabile, nisi quod princeps denuo abdicat principatu et consentientibus regnicolis substituit Andream Bathorem, cardinalem. Rationes huius facti easdem fere proposuit, quas prima vice commemoraverat, cum Germanis traderet sceptrum, puta: „Sum ad coniugium ineptus, minor etiam, quam ut Turcae me amplius opponam. Jam etiam offendi Germanos nec potero
 10 ipsis reconciliari et quidem cum Turca non reconciliabor unquam. Posset igitur mei causa vel ab alterutro vel ab utroque aliquid vobis accidere. Malo igitur carere regno ac aliis vos regendos concedere, qui et facilius cum utroque imperatore transigere poterint. Ad haec urget me con-
 15 scientia, quod fratres et magnates interfeci, studui igitur reconciliationi cum hoc Andrea et Stephano ac pignoris loco ipsorum familiae trado regnum“.

Titulus principis novi: Andreas, dei gratia Transsilvaniae, Moldaviae, Transalpinae princeps, partium regni Ungariae dominus et Siculorum
 20 comes, divina miseratione et sanctae sedis apostolicae gratia titulo sancti Angeli cardinalis, episcopatus Varmiensis*) et ducatus Prussiae generalis administrator **).

19. Aprilis in istis comitiis etiam solenni iuramento cardinalis iam electus princeps obstringit se, quod neminem velit turbare in religione
 25 vel in privilegiis ac in quibuscunque libertatibus ac consuetudinibus. Iuramentum vero princeps paulo post violare coepit, postulavit enim a Bistriciensibus, quod ex diametro cum eo pugnabat. Quid hic cardinalis
 5 mensium spatio rerum potitus cogitavit, quid in interitum religionis sincerioris, in necem orthodoxorum doctorum molitus sit, notum est,
 30 tametsi conatus istius impii eruperunt innervum [!] Deo sese interponente ac pro ecclesia sua et angelis pacis excubante, ipsum et cardinalem morte sane conatibus impie susceptis non indigni mulctante. Postulatum vero a Bistriciensibus tale erat. Accersitis sex potioribus ex senatu Bistriciensi sic proposuit princeps: Cum in abdicatione magistratus Si-
 35 gismundo sit concessa libertas ad tempus habitandi in aliquo Transsilvaniae angulo, petiit, ut ipsi liceat in claustro Bistricii devotionis causa ad semestre habitare, promittens, se litteris cauturum, quod nihil debeat ipsorum religioni decedere et omnia in priorem statum redire, post suum inde discessum neque exemplum aut praecidium esse metuendum.
 40 Respondent Bistricienses: Non esse sibi integrum, in re tanti momenti quiquam non consultis aliis definire, sed se relatores haec ad suos et principi brevi responsuros. Dimissi hoc responso, sed iussi sunt, ut

*) A: Varnensis.

**) *Randbemerkung von Marcus Tartler in C:* Die 18. Februarii advenit novus hic princeps ex Polonia. — Die 25. eiusdem cometa subniger apparet.

intra spatium 10 dierum id faciant. Referentes [!] vero haec senatui Bistricensi, visum est ei, ut sine mora universitatis fratres Saxones consulant per litteras, unde edoceantur, quid principi respondendum sit. Cibinienses non obscure se visi sunt declarare epistola sua super hac
 5 re ad nostrum senatum missa. Putant quidem, postulatum hoc esse iniquum, attamen iubent perpendere ex alia parte pericula maiora, quae secutura videntur, puta indignatio principis, ob denegatam primam petitionem, item ne districtus Bistriciensis ad priorem ducatus formam redigeretur, ut princeps eum vel aliis ex dono conferret vel etiam in proprios usus
 10 converteret. Litteras has, cum mihi iudex*) legendas dedisset, illico olfeci, non plane alienos esse ab isto postulato. Ideo scripturus etiam meam sententiam ad ipsum dominum iudicem, qui actutum in propria persona me accessit, ubi in Dei timore quoque, quid sentiebat, depromebat in hunc modum: 1. Princeps iuravit, se neminem in religione turbaturum, ac non
 15 esse alibi per totum regnum admittendos Iesuitas et papistas quam Albae, Claudiopoli et in Monostro**), ob id non esse annuendum, ne violata iuramenti parte totum cassetur; etsi enim praetexerant, neminem in religione turbatum iri, tamen metuenda esse scandala, accursurum nempe vulgus ut cupidum rerum novarum, et facile infectum iri. 2. Magis
 20 metuenda [!] Dei ira [!] quam principis et quorumvis hominum; latere hic satanae fraudem, qui lenibus hisce initiis ad maiora aspirat mala; si hac in urbe concessum fuerit, futurum tandem, ut ad horum exemplum aliis urbibus simile immineat periculum. 3. Non esse verendum, ne districtus redigatur vel tandem in formam prioris comitatus, quia princeps iuravit, se conservaturum omnes status in forma gubernationis
 25 huius praesentis temporis et non, quae fuit olim.

Atque haec sunt in hunc modum negative ad Cibinienses perscripta nomine senatus Coronensis. Consentit etiam universitas Saxonum, ne hoc concedatur, ac coactus est tandem etiam princeps ipse acquiescere.

30 In mense Maio passim grassantur Tartari et Turcae per Ungariam usque Cassoviam nemine impediante.

Interea redeunt Boczkai et Napragi Demetrius cancellarius expeditione tolerabili, sed, quia ignari factae mutationis fidem dederant de novo imperatori Germanorum, cardinali iurare recusarunt. Ideoque diligenter observantur, quamvis tamen custodes fefellerunt atque praemissis
 35 suis thesauris ad Germanos profugerunt.

Castra circa Claudiopolim locantur.

In mense Septembri Turca transmisso Istro infra Budam moratur. Germanorum autem pars contra Turcam exercitum ducit, pars vero
 40 Transsilvaniam adoritur; nescitur autem, qua de causa; neutri aliquid

*) In C. *Randbemerkung von Marcus Tartler*: Cui pastori? Simoni Massa (darüber M. Fuchsio). Quis? Valentinus Hirscher aut Johannes Draud?

**) C: Monaster[io].

agunt, sed Turcae et Germani quasi ex indutiis*) quiescunt. Illi etiam, qui Transsilvaniam fuerant ingressi, receptui canunt et se cum ceteris in Hungaria militantibus coniungunt.

Circa hoc tempus mussitatur de simultatibus, quae essent inter
5 Michaellem principem Transalpinensem et cardinalem, ideoque Transalpinum moliri impressionem in regnum. Nec vanam aut caecam fuisse suspicionem, res ipsa paulo post testata est. Hicque vaivoda multis a cardinale irritatus et provocatus iniuriis cum maximo et formidabili latronum exercitu Transsilvaniam improvise ingressus.

10 Mense Octobri die Lucae evangelistae hoc est 18. huius mensis die, qui dies Martis erat, ingressi sunt Kosaczi cum aliis militibus per loca montana Vitasch et castra locarunt prope Prasmar.

Sequenti die subsecutus et princeps Transalpinensis Michael, qui ibidem consedit. Sub noctem evocabat primarium civitatis cum uno et
15 altero iurato, siquidem intellexerat, iudicem Valentinum Hirscherum peregre esse in comitiis ad 15. Octobris destinatis. Deliberatum est diu, an esset ipsi ad hanc vocationem obsequendum. Quia vero erat metuendum, ne renuendo offensus damnum inferat provinciae, conclusum tandem est, ut voti compos fiat. Deliberatum etiam prius, quid esset
20 respondendum ad hoc, si forte vellet nos cogere, ut ipsi obstringamus iureiurando, ac tunc quidem in eo conventum est, ut sub condicione fiat, quod postularet, si nimirum ipse regnum occuparet. 20. Octobris egressus igitur dominus. Cyrillus Greissing cum domino Luca Hirschero oratore communitatis et duobus civibus iuratis cum ad-
25 iunctis aliquot militibus, cumque propius accessissent ad castra, missi sunt obviam Kosaczi, qui deduxerunt eos ad castra usque principis. Postulatum erat, quod praevideramus ex parte, nimirum ut in scripto sigillo civitatis confirmato obstringamus nostram fidem imperatori Germanorum, alioquin se vastaturum totam provinciam et
30 urbem. Id cum viderent coniunctum habere ingens periculum, impetrarunt deliberationi cum populo diem tertiam. 21. Octobris interea conferuntur consilia, quae in eo conveniunt, ut terminus responsioni dictus anticipetur, missisque legatis ad ipsum vaivodam ad Czeyden commorantem suppliciter oretur, ne nos miseros et inferiores ad hoc
35 periculosum factum adigat, sed contentus sit promissione nostrae fidelitatis, si Deus ipsius proposito annuerit. Nam praevidere nos, quod hinc nihil nisi perniciēs nostra esset secutura, cuius ipse causa foret. Quodsi igitur nostrum bonum quaereret, uti quidem affirmabat, orare nos, ne tantis tamque certis obiiceret periculis. Legati erant doctor
40 Paulus Kerzius, medicus civitatis, Matthias Fronius et Joannes Hirscherus, iurati, cum quibusdam ex centumviris, qui in hunc modum cum Michaelle vaivoda transigunt atque feliciter sibi commissa negotia perficiunt. Responsum vaivodae fuerat: „Video, vos et me et vestrum principem metuere

*) C: indiciis.

idque non sine causa. Ego igitur vestris promissis iam contentus sum, vos modo constantes sitis“.

22. Octobris transmittit nemus cum universo exercitu atque eodem die pervenit in Sarkány, possessionem Coronensem. Hoc quadriduo im-
 5 mensa dederunt damna per universam provinciam exceptis pagis Nea-
 poli, Rosenau et Volkán. In Prásmár non est relicta domus unica habi-
 tabilis, sed omnia destruxerunt, fenestras, fornaces, pavimenta, currus
 combusserunt, ferramenta sola reliquerunt in castris, quod tanto oneri
 non essent ferendo sufficientes. In horreis excusserunt fruges omnes
 10 excepto tritico, quod illud neque equis, neque sibi ipsis usui esset.
 Discessuri succenderunt oppidum, sed vaivoda per suos restinxit, iura-
 verat siquidem sua voluntate ista non fieri, sed tantam multitudinem
 militum furiosorum se reprimere non posse. Praeter unicum hominem
 non interfecerunt, erat ille faber ditissimus omnium. Tales se gesserunt
 15 in ceteris communitatibus et longe saeviores et truculentiores, plurimos
 enim interimerunt [!] et cum primis pastores et personas ecclesiasticas
 spoliarunt et exuerunt omnibus bonis suis, etiam amictu. Omnia iu-
 menta abegerunt, equos inprimis, ut in quibusdam communitatibus non
 sit inventus unicus tantum. Heltviniensem arcem sexies oppugnando
 20 expugnassent, nisi serium vaivodae mandatum, ut desisterent, accessisset.
 Mariaeburgum succendunt, idem fecerunt et Nusbach pastoribus vix ne-
 cem evasis.

Abfuerunt circa hoc tempus in synodo Mediensi dominus decanus
 Andreas Roth, pastor Petersbergensis, cum comite domino Petro Klein
 25 alias Literato, pastore Brenndorffensi. In reditu incidunt in latrones iam
 nemus Czeidinum transmittentes, qui ipsos venerandos viros deprae-
 dantur et spoliant curru et equis, dominum decanum omni vestitu exu-
 unt, ut nudus solo perizomate, paene enecatus frigore, venerit in Heltz-
 dorff. Idem accidisset et domino Petro, nisi fuga sibi consulisset [!]
 30 oberrans in vepribus et arbustis tota nocte.

Cum tandem vaivoda solvisset Sarkano 23. Octobris, transiit Foga-
 ras arcem, neminem laedens, immo neque pagum, quia alimenta dede-
 rant sufficienter. Sic milites eius diei veniunt in Kertz.

Interea princeps noster cardinalis suo quoque exercitu obviam pro-
 35 cedit Michaeli, donec propemodum collatis signis circa Cibinium conve-
 niunt, Michaeli vaivoda considente in plano campo, cardinali vero ad
 montem, qui est e regione urbis circa Hammersdorff*), experturus [!]
 fortunam campestri proelio ipso die Simonis et Judae sive 28. Octobris.
 Hoc proelium fuit infelix, cardinalis arripit fugam, et victoria fuit penes
 40 Valachum, cecideruntque ex nostris praecipui capitanei et milites me-
 liores ad multa milia.

Tertio hinc die, 31. Octobris, pervenit Albam Juliam et nemine im-
 pediente occupavit sedem regiam. Inde remittit quosdam boierones cum

*) A: *Randbemerkung*: alter Mechelsberg.

Marco Schunkenbunck, cive iurato Coronensi, significante, vaidam celebraturum comitia ad 7. diem Novembris et ex specie vocari ex urbe Coronensi iudicem Valentinum Hirscherum. Licet autem litterae convocatoriae non subsequerentur, tamen nostri rati, nuntium esse interceptum
5 cum litteris, sese accingunt, ut ituri Cibinium usque, quid facto opus sit, rectius intelligant nec exspectando litteras, quas dominus Schunkenbunck affirmabat esse exaratas et dimissas, in suspensionem apud vaivodam incurrerent.

Interea cardinalis cum adiunctis quibusdam nobilibus et quidem
10 praecipuis habitu mutato conatur evadere per Ciculiam Czyk in Moldaviam et inde in Poloniam. Verum a Ciculis circumventus et interceptus truncatur una cum ceteris nobilibus excepto unico Chamartani Thomás, qui vivus evasit in Moldaviam.

Postquam nostri senatores deputassent legatos in comitia dimittendos, priusquam iter ingressi essent, accipiunt quidem litteras a vaivoda,
15 in quibus nihil de comitiis habetur, sed hoc erat praecipuum argumentum: Commonefeceramus vos de summa quadam pecuniae pro praesente regni necessitate conferenda, sicut et Cibinienses, qui et ipsi nobis suam partem assignarunt. Cur autem vos id hactenus neglexistis, miramur;
20 adhortamur, ut primo quoque tempore nobis testatam faciatis vestram fidelitatem. Hoc mandato moti nostri ex mutuo conquirunt fl. 4000. Hos legati in comitia dimissi secum assumunt; erant vero legati dominus Cyrillus Greissing, senior senatus, dominus Sebastianus Blesch, dominus Schunkenbunck. Hi cum ex novo mandato intellexissent in itinere, comitia
25 differri usque ad 20. Novembris, praemittunt pecuniam, eam oblaturi vaivodae. Is vero audita summa excanduit et minatus est, nisi statim afferrent quindecim milia, se solo aequaturum totam Barciam. Hanc summam tandem coacti sunt conquirere absque omni mora.

Dum haec aguntur, intelligimus, quales minas spiret vaivoda propterea, quod in itinere fuerunt interfecta [!], ut metuant omnes, quis sit
30 harum minarum futurus eventus. Deus cor eius flectat ad clementiam!

Titulus vaivodae: Michael, Transalpinæ Valachiae vaivoda, sacratissimæ Caesareae Regiaeque maiestatis consiliarius, per Transsilvaniam locumtenens ac eiusdem maiestatis exercitus cis Transsilvaniam ditio-
35 nemque eius partiumque ei subiectarum fines capitaneus.

Non admittuntur nostri cum pecunia a principe commota ante diem quartum, immo exposuit et exprobravit ipsis quaedam contra ipsum attentata ac iterum minatus est desolationem et provinciae Barcensis et ipsius civitatis. Verum per declarationem nostrorum aliquousque
40 mitigata est ira vaivodae, tantum serio ursit, ut iudex ipse in comitia veniat cum Joanne Herselii.

17. Novembris audita postulatione vaivodae iudex Valentinus Herselii se commisit iterum ad comitia indicta iturus.

Statim post ipsius discessum spargitur rumor de Turcis aliquot
45 signis adventantibus in Transalpinam. Hinc opinati plurimi, principem

alium in locum a Michaele vaivoda desertum adduci. Ideo et fugerant omnes circa montes habitantes cum liberis et bonis, quae arripere poterant in tanta festinatione. Sed rumor iste statim evanuit. Turcas enim, qui advenerant, tantum empturi [!] necessaria, ut mel et butirum, venisse, 5 compertum est. Quod vero plures se coniunxerant et quidem bene armati, non nocendi causa sed se defendendi potius contra Kosakos, quos metuebant, id fecerant. Ubi igitur sua confecissent negotia, neminem iniuria afficientes regressi sunt. Haec tamen res occasionem praebuit vaivodae, ut dimitteret mille equites in Transalpinam, qui similes irruptiones Turcarum impedirent regnumque defenderent. Verum licet rumor 10 iste falsus deprehenderetur, tamen missi sunt milites singulis paene diebus, qui ingentem crudelitatem, rapinam et saevitiam exercuerunt per totam Barciam.*)

Subsecutus est tandem Petrasco, filius vaivodae, quem certis et 15 numeroris copiis dimisit in Transalpinam, ut sedem patris occupet. Curatorem dederat Pancratium Seneii, aliquando supremum arcis Varhegy capitaneum, quem post mensem revocat; causam rescire nemo potuit.

Anno 1600. Feria sexta Nataliciorum proficiscitur iudex subito in comitia Albam, ubi tamen nihil aliud fuit actum, quam bibitum et pecunia exhibita. Adventum in urbem Coronensem saepe pollicitus est, 20 sed impeditus adventu legatorum distulit.

Interea hibernantes milites in communitatibus, et quae in ingressu reliquerant, nunc penitus vastant et miseros rusticos inclementer tractant et ex suis eiiciunt aedibus cum tota familia et omnia sibi ut propria 25 vendicant.

3. Februarii denuo litteris de suo adventu iudicem admonet. Hic adventus semper est dilatus et ob graves consultationes cum legatis ex vicinis regnis protractus usque ad Martium mensem.

1. Martii ingressus est urbem Coronam cum ingenti comitatu equitum et peditum, quorum numerus ferebatur excedere sex milia. Hoc ipso die nonnulli ex familiaribus celsitudinis suae referebant, ideo esse ingressum in urbem, ut expectet adventum legati Turcici adferentis vexillum confirmationis signum.

4. Martii appulit legatio imperatoris Romanorum David Ungnad cum 35 capitaneo Szattmáriensi.

9. Martii**) attigit Coronam urbem legatus imperatoris Turcici, Bassa Temesváriensis, non minori pompa, quam ipsemet princeps ingressus fuerat; obviam enim iverat vaivoda in propria persona, utque primum

*) F: Rascii, Bulgari, in hiberna per Barciam distributi, misere provinciam depraedantur frumento pabuloque omni consumpto omnique crudelitatis genere saeviunt in rusticam turbam et pastores etiam ecclesiarum, quorum nonnullos per exquisitissimos cruciatus barbarica feritate necarunt extorta prius omni, si quam habuerunt, pecunia.

**) *Randbemerkung des Marcus Tartler in C: M[artin] B[ansi] scribit die 8.*

conspexit legatum, descendens de equo pedes propius ad eum accessit circa Weydenbach, ubi a legato accepit pileum et vexillum.*)

Hac ipsa die circa horam nonam vespertinam ingressus est etiam Petrasco, filius vaivodae, cui similiter vexillum imperatoris ab eodem legato oblatum.

11. Martii maior pars militum ex urbe et ex suburbiis discedit; successurus erat ipse princeps quoque, nisi comitia celebranda Coronae ad 12. Martii exspectasset. Iterum autem mutata sententia volebat prorogare et transferre celebranda Cibinii, verum quia iam confluerant regni proceres, precibus obtinebant, ut continuarentur.

15. Martii. Postquam haesissent hucusque ad diem quartum, fit comitiorum initium, sed una hora conficiuntur indictis 4 fl. de uno capite, vel ut vulgo nominari solet, kapu; timuerunt proceres aliquid durius, sed hac indictione audita ut beneficium singulare acceperunt et contenti ultro in eam iverunt sententiam.

Quid vero actum sit cum legatis Turcicis, Polonicis, denique et Germanicis, nemini est patefactum. Quidam tamen, qui videbantur principi esse a consiliis secretioribus, id sub religione silentii referebant. „Princeps, inquit, in titulo se locumtenentem nominat imperatoris Germanorum, quasi in manus ipsi traditurus, verum si et ipse imperator steterit promissis ac expensas sufficienter refuderit. Sed id non faciet; frustra igitur Transsilvaniam sibi cessuram sperat. Et quia princeps id animadvertit et odoratur, ipsum impressionem armis attenturum, ideo non militem solum, quem nunc secum habet, retinet et retenturus est, sed insuper numerosiorem in dies conscribit, quo venientibus Germanis, si quiescere nolunt, occurrere possit. At idcirco, ne ut Turcam habeat adversarium, cum eo de pace pactus vexillum admittit et acceptat torvo vultu id adspicientibus legatis Germanicis“. Haec in hunc modum narrantes attingebant quasi sui obliti quaedam de Polonis in eum modum, ut et ipsi pro regni Transsilvanici competitoribus haberentur; ob id siquidem paratum esse cancellarium Samosciium, militibus et pecuniis zehnmal hundert tausend instruere et expedire Sigismundum Bathorem, ut occupet Transsilvaniam; si non poterit, nihil, ut sibi pro expensis reddatur, expetere. Si vero occupaverit, debere tunc Sigismundum aliquam ducere ex familia Samosciana vel undecunque tandem, tantum non ex Germanorum gente. Si vixerit et proles secuta fuerit, penes ipsum patrem maneat dominium, eo vero mortuo succedat proles ut legitimus haeres. Si vero sterile futurum est coniugium, tunc post obitum redeat principatus ad filium, quem Samoscius ex sorore Sigismundi suscepit, unico eo simpliciter et clare dicto et observato, ut manifesta a Germanis fiat discessio. Haec quantam mereantur fidem, exitus testabitur.

*) F: 9. Martii ingressa est et legatio Turcica, quam Michael ipse obviam cum insigni comitatu progressus honorifice excepit introduxitque claudente Turca plane decrepito ad sinistrum principis latus.

16. Martii mane hora 7. ex urbe solvit princeps, versus Cibinium contendit in eodem calamitoso et tristi casu relictis omnibus, ut inveni-
nerat: milites grassabiles in communitatibus non solum unico verbo non
sunt reprehensi, sed relictis, et eo plus confirmata est rabies, secure
5 occupant sedes pastoratus, exulantibus pastoribus eodem modo, ut
et antea.

26. Martii doctor Moraltus ingressus in urbem Coronam ut legatus
in Moldaviam.

29. Martii quidam bonus amicus arcanum revelabat in hunc modum:
10 Michael vaivoda toto corde cupit confirmare pacem cum vicinis, ut
diuturnum hoc bellum sopiatur. Cum Poloni sint confoederati cum Turca,
cum ipsis quoque vult facere pacem, ita ut princeps Moldaviae Jeremias
elocet filiam suam principis filio Petrascio, ut ita unum sit Transsilvania,
Polonia, Moldavia et Valachia, nec audeant vel Tartari vel Turcae, multo
15 minus Germani, aliquid mali contra hos moliri.

20. Aprilis paulo aliter narrantur, quae superius dicta erant, 29.
Martii puta: Michael vaivoda vult excludere Germanos et se coronae
Poloniae subiicere, Sigismundo tradere Transsilvaniam, ita ut accipiat
in matrimonium filiam ipsius vaivodae, filius autem Michaelis vaivodae
20 habeat filiam Jeremiae, Moldaviae principis, et ipse Jeremias sponte
cedat ex regno seque conferat in Poloniam, ipse vero Michael in Mol-
daviam succedat, ut habeat inde occasionem repellendi Tartaros iuxta
Istrum usque ad Albam et Nistrum fluvium, ut sic ampliet et dilatet
regnum.

25 24. Aprilis nascitur monstrum ex muliere, habens formam carpionis
piscis. Ut inspiciatur, non fuit datum, sed vel occultatum aut, ut refe-
rebant, qui viderant, in Valachiam translatum.

1. Maii die Philippi et Jacobi exercitus castra ponit circa oppidum
Prásmár, unde iam colligunt multi Moldaviam versus perrecturos*) [!].

30 2. Maii circa horam 8. ante meridiem transit princeps cum 5000
equitum Coronam profecturus Prásmar.

3. Maii remanserant liberi milites 3000 Rosis, qui ibidem omnia
diripuerant et vastaverant, ministrum etiam dominum Paulum cum filio
crudeliter trucidaverant; inde solventes veniunt Coronam. Hoc ubi in-
35 tellexissent senatores, consulunt, aliquo munere placandum esse prae-
cipuum illorum ducem, ut pacifice subducat exercitum, ne damnum
inferant. Impetrato hoc vino, pane et pecunia voluit praefectus ingredi
urbem cum 30 vel circiter equitibus, sed inconsulto senatu portarii ipsum
non admittunt. Cum igitur coactus esset reverti cum pudore, minatus
40 est, et minas non fuisse innanes, res ipsa paulo post testata est. Ince-
perant enim milites iussu praefati praefecti tumultuari, quosvis obvios

*) F: Initio Maii expeditionem in Moldaviam suscepit Michael, quam mox
absque certamine occupavit, Jeremia Palatino sponte, cedente seque ad Polonos re-
cipiente).

verberibus et damno sine discrimine afficiunt ac urbi etiam minantur invasionem. Nec fortasse abstinuissent, nisi citissimo cursu vocatis*) ad castra fuisset properandum ipsis.

Summo mane Prasmariuo solvit princeps in castra profecturus. 5 Interea militantes suo stipendio succendunt Honigberg, quod oppidum conflagravit intra horam 5. et 6. vespertinam**).

Eadem die praemiserat aliquot copias, sed 4. Maii ipsemet cum universo exercitu subsequitur et attingens Neunmarkt ordinat omnia et expedit Moldaviam versus, ipse vero subsistit ibidem cum 2000. Pollicetur 10 inde ingressum Coronensibus in urbem exspectaturus ibidem eventum belli militibus sub certis capitaneis dimissis, ideoque Coronenses de apparatu necessario solliciti exstruunt culinam et reliqua ordinant ad 15 digne excipiendum et tractandum principem. Interea nescitur, quo rumore territus ipse celerrimo cursu properat, ut se militibus praedictis iungat, ac ex oppido Neymarck solvit 6. Maii ac nemine prorsus ipsum 20 impediendo nullo labore recta Moldaviam ingreditur ac palatini sedem occupat; eam enim deseruerant ad auditum adventantis vaivodae. Quo autem se receperit, nescitur hoc tempore, rumor incertus spargebatur, quasi ad Polonos aufugisset. Regno iam occupato et sibi subiecto 25 ponit milites et praesidia reversurus in Transsilvaniam. Ita brevi tempore armis et minis occupavit duo regna, nempe regnum Transsilvaniae diebus 11 a primo ingressu in Barciam, a 18. Octobris sive die Lucae usque ad diem Simonis Judae, qui 28. eiusdem mensis. Moldaviam vero occupat a prima die Maii usque ad octavam, hoc est octiduo, continuo itinere ne 25 unico quidem milite amisso.

26. Maii affertur laetum nuntium [!] ex Moldavia: Michael vaivoda insequendo fugientem Jeremiam, palatinum Moldaviae, usque ad terminos Poloniae reperit eum circa arcem Hottin, committens proelium victoriam 30 obtinet trucidatis aliquot mille [!] Polonorum, ipso vero Jeremia cum paucis elapso. Haec non solum nuntiavit ipse Michael princeps urbibus Transsilvaniae, sed etiam mandat, ut disputatione machinarum laetitiam et congratulationem testentur, id quod eadem die 26. Maii apud Coronenses est completum. Conflictus autem factus est die Martis post festum Pentecostes, 23. Maii.

35 Hinc incipit disponere praesidia per singula loca ac peractis omnibus tandem moram nectit, dum omnia videret recte esse ordinata.

Moldavis relaxat censum et ad oboedientiam illos allicit, qui et recipiunt, se propriis tandiu militaturos stipendiis ac defensuros contra quoslibet impetitores regni, quamdiu census ipsis fuerit remissus.

*) A: vocati; C: vocatus.

**) F: In transitu per Bartziam Honigberga iterum a barbaro milite, studeione an incuria? inflammata denuo in favillas redacta est universa, cum circa idem tempus ante septennium (*Randbemerkung von Martin Ziegler: Anno 1593 die 21. Aprilis.*) eandem calamitatem fuisset experta.

27. Junii princeps relicta Moldavia ingreditur in urbem Coronam, ibidem nectens moram usque ad 5. diem.

1. Julii discessit ex urbe Albam versus; missus ab imperatore Germanorum doctor Petz propius accedere noluit, nisi Michael vaida 5 obsides Pragam dimississet. Misso igitur Báni Mihákul, accessit praefatus doctor Petz.

18. Julii conscripsit comitia Albam, sed antequam fieret initium comitiorum et ante conventum regnicolarum ipse princeps transegit cum legatis Turcicis et Germanis ac datis muneribus splendidissimis eos 10 dimisit, quibus autem condicionibus, nemini communicavit. Censum autem inauditum inflixit ac publicavit: de singulis portis fl. 6.

Circa hoc tempus Moldaviam palatinatumque concedit Marco, filio Petri Radolovicii; sed ultra dies quinque non obtinet principatum, per Polonos enim restituitur Jeremias ante per Michaellem pulsus.

15 Cum per integrum mensem Augustum disponeret castra in diversis locis, in Ciculia, prope Sabesum, in Kenyér-Mező, item Thordae et in terminis Moldaviae, propter rumores de adventantibus Turcis et Tartaris, ex altera parte Polonis, iterum coepit vaivoda grassari in nobiles et meris suspicionibus motus quosdam mactavit. Igitur alii metuentes fuga 20 sibi consulunt et ex regno diffugiunt, inter quos erat generalis capitaneus Székely Moyses cum quibusdam potioribus, ac in dies subsecuti sunt alii atque alii. Et qui intra regnum manserant, clam aliquamdiu defectionem a vaivoda moluntur, donec tandem aperte se hostes esse vaivodae declararunt.

25 Mense enim Septembri 2. die litteris ad civitates missis conantur eas ad similem defectionem adducere. Verum cogitantes nostri de honestissimo nomine, quo in hoc usque tempus pro fidelissimis habiti fuissent, ut qui nunquam proditionis alicuius insimulari possent, merito nihil hic etiam temere faciendum esse iudicarunt defectoribus in gratiam, 30 sed confestim eas ipsas litteras dimiserunt ad principem, testaturi constantiam suam et fidelitatem. Istis vero litteris vix dimissis subsecutae sunt aliae, quibus prolixius iam agunt quam antea, ut persuadeant nostris, sed neque sic quicquam obtinent; sine mora enim easdem prioribus per veredarium citissimum submitunt. Accidit vero interea, ut 35 Cibinienses similes acciperent litteras ex eorundem nobilium castris, quarum etiam idem tenor fuit. Eas nostrorum exemplo moti non per veredarium, sed in propriis personis adiuncto etiam nostro tabellario in aulam perferre attentant. Ubi vero non procul abessent ab aula, in itinere plenius intelligunt ex quibusdam vaivodae familiaribus, reliquas 40 civitates non esse amplius principi fideles, sed omnes dudum defecisse, se solos cum Coronensibus restare; Ungaros etiam omnes ex castris vaivodae se nobilibus coniunxisse, prius pacti cum ipsis *ἀμνηστῶν* eorum, quae hactenus acciderant, dum vaivodae adhaeserunt, id quod nobiles libenter receperunt, quia sperabant, ista ratione allectos [!] iri et

Ciculos, qui antea Michaellem spe adipiscendae suae libertatis accersiverant et tandem etiam nobiles trucidaverant. Haec et similia intelligentes Cibinienses re diligenter perpensa ex itinere revertuntur ad suos, unde remittunt nobis et sibi missas nobilium litteras cum adiunctis
 5 aliis, quas a Germanis et Hungaris et praesidiis Caesaris Romanorum acceperant, ac suam quoque defectionem 10. Septembris nostris significant strenueque, ut se adiungant, hortantur. Sine mora senatus populasque convocatur sub horam vespertinam die Dominica 15. Trinitatis. Omnes magno cum applausu assentiuntur defectionem suadentibus, atque
 10 illa vespera adhuc capiuntur et incarcerantur, quotquot deprehenduntur, inter quos praecipui erant Vistherus Vistelius, et Jorga, frater Michaelis magni Bán, alii vero passim trucidantur. Disquiruntur etiam per singula compita et nemora, ac omnes obvii in continenti caeduntur.

12.*) Septembris die lunae crux seu patibulum in publico foro erigitur.

15 Spargitur rumor de adventantibus Valachis et iam prope existentibus circa terminos Barcziae in Rukur alias Rothbaum. Cui rumori fidem faciunt quidam praecursores, viri nobiles ex Valachico exercitu, puta defectionis ignari et ob id securi, tamquam venientes ad suos. Sed praeter expectationem a Rosonensibus intercepti et in urbem delati
 20 examini levi subiecti plectuntur, praecipuus reservatur Aga.

Eiusdem diei vespera circa horam 4-tam egressi sunt cives Coronenses se Valachis opposituri idque faciunt.

12. Septembris verum Valachi sentientes, se viribus esse impares, fuga conantur sibi consulere, ac nostri eos persecuti sunt, et quotquot
 25 assequi potuerunt, dant neci unico tantum amisso ex nostris iuvene, Martino Mediensi, servitore relictæ Mathiae Fronii, et paucis quibusdam vulneratis.

13. eiusdem reversi ista victoria Coronam a meridie procedunt alacris [!] animis versus Prásmár, ubi in vicino loco castra ponunt, sequenti die aggressuri eos, qui per montes Uitás impressionem facturi dicebantur.
 30

14. Septembris nostris se adiungunt Ungari sclopetarii pedites 150. Tunc prima occasione oblata prorumpunt in hostem sese ostentantem. Sed primus congressus nostris fuit infelix. Nam ab hoste multis laesis
 35 sunt repressi, ac disposure machinae magister bombardarum pulvere tormentario est in toto suo corpore ita perustus, ut nulla corporis cutis integra adpareret. Sub vesperam tandem feliciter pugnatum est, ac ablatæ sunt duæ machinae a Valachis.

15. Septembris milites in urbem revertuntur ex castris contenti
 40 eo, quod in fugam versi essent hostes et, quæ causa erat praecipua, quia totius civitatis robur ulterius in periculo manere non volebant. Verendum enim, ne aliqua fraude vel bellico stratagemate circumventi opprimerentur, ideo, inquam, reversi sunt. Referunt autem isti, summum illum, quem cum universo praesidio Michael vaivoda in Moldavia reli-
 45 querat, misisse ad nostros nuntium in castra petatum, ut aliqui ad ipsum

*) A: 2.

ex castris expedirentur, qui ipsum cautione aliqua securum redderent, ut possit sine vitae periculo urbem ingredi et videre suam cum liberis coniugem; se enim et hoc desiderare et, se ut nostris coniungerent, unice cupere et in votis habere. Id factum quidem est studio Armáschium a Valachis et Moldavis abstrahendi, sed res non successit. Ciculi enim in vicino loco ex castris erumpentes prius Kálnakium trucidant, quam ad Armásium pervenissent.

Dum vero nos hic Coronae quiescimus, circa vesperam Ciculi iuxta Alutam habitantes succendunt communitatem Kriszbach et possessionem nobilem Bodolam.

16. Septembris colligunt se Valachi die praecedente in fugam acti ac se coniungunt cum Moldavis, inter quos fuit praecipuus praefatus Száva Armásch, quibus se etiam aggregaverant Ciculi. Hi, inquam, tum viribus suis multum tribuentes propius ad territorium Prasmariansium minitabundi accedunt, verum antequam aliquid hostile moliantur aut attentent, mittunt ad senatum Coronensem suos legatos, qui commissa ipsorum referant. Erant autem haec:

1. Quaerunt, cur non concessissent ipsis liberum transitum, sed damna intulissent occidendo plurimos et auferendo etiam machinas. Huius, inquam, facti rationes intelligere cupiunt.

2. Postularunt, ut nobiles, quotquot haberent et foverent apud se, traderent ipsis et imprimis eos, qui die praecedente contra Valachos cum ipsis Coronensibus pugnassent. Item sclopetum campestre, quod nostri abstulerant, repetunt.

Haec agunt per quendam Coronensem, quem in pugna praecedentis diei ceperant cum aliis multis, quos obsides coactus erat relinquere sub pacto de redeundo. Is vero reversus quid effecerit, nescitur. Res ipsa tamen testata est, senatus Coronensis interminationes non fuisse prorsus irritas. Nam cum Ciculi minati essent ignem, nisi redderent nobiles et tormentum, nostri e contra Ciculis minati sunt et ignem et interneconem coniugum et liberorum. Hac re moti 17. Septembris pacifice transierunt per provinciam, nisi quod pagum Valachicum pertinentem partim ad quendam nobilem, partim ad Coronenses succenderunt et penitus in cineres redegerunt. Transeuntes autem erant circiter milia quinque.

Litteris admonentur ab Ungaris Coronenses sive Barcenses, ut contra Michaellem obstruant omnes vias et succidant silvas versus Moldaviam et Valachiam, ne auxiliares copiae inde Michaeli accedere possint. Ipsi vero Thorda moverunt castra ac metati sunt circa Ujvár arcem, quam quondam Gálfius exstruxerat.

18. Septembris summo mane apprehenditur quidam Rascio, qui ex Valachia venerat. Is examinatus fassus, sic esse conclusum, ut egrediantur adhuc tres exercitus selectissimorum militum 29000, qui praemiserant aliquot, qui universam Barciam diriperent ac funditus delerent igne et ferro. Quibus dictis res ipsa statim fidem fecit. Nam succensae sunt circa meridiem Prásmár, Honigberg, Brenndorff, Petersberg, Heltz-

dorff, Neudorff, Marienburg, Rothbach, Nuszbach. Quaesiti de causa respondent, se intellexisse, a nobis trucidatas esse ipsorum coniuges, quarum erant vel sexcentae in suburbio superiori [!], nosque ipsas spoliasse bonis. Ubi vero secus intellexissent, quietiores sunt redditi. Circa vesperam
5 recipiuntur in urbem praedictae mulieres ac includuntur publicae fori domui (aufs Neu-Gebäu), ut, si aliquid mali urbi inferre vellent, hae ipsae opponerentur, si forte parcerent propter eas.

19. Septembris propius accedunt ad urbem et succendunt suburbium in media platea, sed statim restinguitur ignis, ubi deflagrassent
10 domus tres. Interea vindicaturi se nostri insequuntur Valachos eosque non solum repellunt, ne damna maiora inferant, sed etiam ita in fugam vertunt, ut plane ex provincia discedere sint coacti.

20. Septembris Petrasco, palatinus Valachiae, filius Michaelis vovodae, iterum conatur cum minis, tum etiam promissionibus persuadere,
15 ut ad Michaellem redeant, idque litteris ad senatum Coronensem missis egit. Interea per Ciculiam novi latrones provinciam Barcensem ingrediuntur, ac quidquid reliquum inveniunt, etiam favillis tectum, de novo refodiunt, succendunt et totum dant igni. Sub vesperam conflagrat etiam Czeidinum.

20 21. Septembris quiescimus ab horis matutinis usque ad meridiem. Affertur laetum nuntium [!] de obtenta victoria a nostris contra Michaellem pugnantis die Lunae post Dominicam 16. Trinitatis, die 18. Septembris.

22. Septembris aiunt, Michaellem pulsum usque Fogaras fugisse. Inde egreditur
25 23. eiusdem Barciam versus ac castra sua locat prope oppidum Zeyden, unde metuenda erat irruptio in civitatem Coronensem. Verum sequenti nocte ex eo loco 24. Septembris denuo se surripuit nec sciri poterat, quonam devenisset*).

25. Septembris pro certo affirmatur, longe maiorem collegisse exercitum quam ante, et intelligimus, in duabus communitatibus, Rothbach
30 et Nuszbach, exercuisse extremam crudelitatem; trucidati enim sunt omnes, quotquot ibidem invenit, viri**) cum mulieribus et parvulis utriusque sexus. Nocte sequente castra movent Valachiam versus per viam, qua antea ingressus Michael, iterumque metantur castra circa Prásmár.

26. Septembris provocant se mutuo prodromi seu vigiles utrinque,
35 et certatur tumultuarie; capiuntur plurimi ex Michaelis militibus vivique in urbem adducuntur, sed et illi trucidantur post levia examina. Fatentur omnes eodem modo: Esse quidem insignem multitudinem, sed imbecillum, ad gerendum bellum plane ineptam, item fame periisse et perire plurimos quotidie. Egreditur circa horam pomeridianam egregius et
40 bilis vir, civis Coronensis, Joannes Hersel, cum aliquot primariis ex

*) F: Tres soles et exercitus ardentes in aëre conspiciuntur.

**) *In den Handschriften*: viros.

ordine senatorio, item suis aliquot servis, provocaturus aliquos, si adessent ex castris Michaelis, ad certamen. Sed praeter expectationem occurrunt ei duo capitanei summi Rascionum cum quinquaginta vel circiter militibus. Quia vero hi antea sub ingressum Michaelis ac deinde etiam
 5 post sibi subiectam Moldaviam in praefati Joannis Herselii notitiam venerant, statim eum agnoscunt neque ad hostile certamen, sed ad amicum colloquium vocant ac id tandem obtinent, ut securitatem utrinque pacti sub religione iuramenti coavenirent; procul omnibus aliis amotis colloquuntur. Rasciones orant, ut coniuges eorum ipsis reddantur; sic pollicentur, se non solum damni nihil moturos Coronensibus, sed insuper
 10 alios impedituros, ne quid mali faciant. Secundo postulant, ut evidenti aliquo argumento planum ipsis faciant, se non temere a Michaele defecisse, sed voluntate imperatoris Romanorum; tunc enim se relicturos Michaellem, eo quod hactenus Caesaris, non Michaelis stipendio militassent. Ad haec affirmarunt, ipsummet Michaellem eius esse animi, quod
 15 velit Caesari repugnare, si id intellexerit; quod factum est, factum esse scitu et voluntate eius, atque ad hoc dimissum iam esse quendam legatum Szeléssi János ad primarium Germanorum capitaneum Georgium Basta. Tertio etiam commeatum postularunt. Ad primum breviter
 20 responsum est, esse coniuges in bono loco, et facile hos impetraturos, ut reddantur, si modo condiciones receperint, quae ipsis praescribentur [!]; ob quam benevolentiam gratias egerunt et orarunt, ut mitius tractentur. Ad secundum receperunt nostri, se id facile probaturos, quod postulabant. Ad postremum negative responsum est.

25 27. Septembris. Iterum eadem postulata urgentur per litteras, quas afferebat Szava Armás, sed eodem modo responsum est, nisi quod iam illud quoque additum sit: exspectare nos responsum a Germanis, quibus exposita sunt haec ipsa postulata. Quidquid igitur responderint, hoc nos amplexuros et ipsi quoque Michaeli significaturos. Atque haec
 30 non solum coram cum Szava sunt acta, sed etiam litteris ad Michaellem datis.

28. Septembris. Eodem in loco quiescit; nocte praecedente succendit pagos, quos vocant Septem Valachicos, ac quos ibidem deprehendit, spoliat ac nudatos trucidat, omnia destruit et diripit, ut habitationes et
 35 domus reddat inutiles et inhabitabiles.

29. Septembris, die sancti Michaelis, quod reliquum manserat de Septem pagis, totum succendunt atque comburunt. Fiunt praeterea excursions et certamina cum hostium stragis seu prodromis.

30. Septembris nocte praecedente excurrerant quidam ex hostibus
 40 Roszenau usque ad praedam abegeruntque omnia iumenta Rosonensium et Neapolitanorum, quae tamen ipsis magna ex parte crepta per Neapolitanos et Veidembachenses. Accidit etiam sub idem tempus, ut nostri lustrandi gratia in campum egressi deprehenderint Deli Marko circa molam papyraceam volentes nostros in excubiis adoriri. Sed ubi tam
 45 prope accessissent, ut alteri alteros exaudire possent, illico privatum

colloquium expetit Deli Marko, ad quod se submitit Augustinus Misse, dux nostrorum. Summa colloqui fuit: an nos partem Caesaris Germanorum defendamus? Affirmantibus responsum est ab ipso Deli Marko: „Et nos similiter. Cur igitur nos invicem oppugnamus?“ „Date operam, 5 inquit, „ut super hac re iudicis Coronensis testimonium habeam, interim ego militem reducam“. Sic iste recessit nec responsum exspectavit. Existimamus, ipsum de adventantibus auxiliis Germanorum aliquid intellexisse atque metum hunc fuco hoc voluisse tegere, quasi inscii damna tanta intulissent regno Suae Maiestatis.

10 Sub hora 2. revertuntur postae ex castris Germanorum circa Cibinium metatis, qui afferunt litteras generalis Georgii Basti, quarum sensus erat: „Litteras Vestrarum Dominationum, quibus significatis vestras necessitates, libenter vidimus. Quare auxilium cras contra tyrannum Michaellem laturi iter ingrediemur, vos contra ipsum defensuri et prorsus 15 ab eius tyrannide liberaturi. Datum 28. Septembris“.

1. mensis Octobris. Ut vel tandem suburbium expugnaret, omnes artes et vires adhibuit hostis. Noctu enim in tres partes diviserat exercitum atque tribus locis posuerat, ut ad solis exortum nostras*) excubias tamquam ex insidiis adoriretur, vel cum una parte certantes 20 nostros alii a tergo circumvenirent, quod et factum fuisset, nisi singulari providentia sua Deus periculum avertisset. Primi se occultaverant post montem, qui nominatur mons iudicii seu calvariae vel suppliciorum. Alii occupaverant viam Herrmanensem prope fluvium Temesinum, tertii vero iuxta pontem Barczae non procul a mola papyracea. Primi post 25 montem calvariae fraudulenter nostros praemissis subinde paucis provocabant ex suo praesidio, cumque nostri incautius excurrerent, accidit, ut prorumpentes ex angulo suo nostros usque ad pontem, quem leprosororum vocamus**), pellerent. Inde statim ex castris sclopetis aliquot ipsis similem terrorem incutiebant nostri atque in celere fugam verterunt; 30 quo facto reliqui duo exercitus ex diversis locis sensim se subduxerunt atque in castra metata circa Honigberg et Tartlau receperunt.

2. et 3. Octobris abiit hoc biduum citra tumultum et infestationem hostium, sed accessit aliud, quod merito nos turbavit; significatur***) iam pro certo, Sigismundum advenire cum instructissimo exercitu constante 35 ex Turcis, Tartaris et Polonis per Moldaviam, cui obviam venit Szekely Moyses cum 10000 Polonis, ut, si poterit, occupaturus et recepturus Transsilvaniam. Id intelligentes Germani et Ungari provinciae Barczae appropinquantes, ut Michaellem penitus e regno pellant nosque ab eius tyrannide prorsus liberent, subito mutata sententia mittunt ex suis castris 40 prope Sarkany ultra silvam Czeidinam *****) metatis legatos Stephanum Tekelium cum primariis regni proceribus ad Michaellem tunc prope Honigberg et Prásmár subsistentem cum suo exercitu satis copioso ac

*) A: nostrates.

**) A: vocant.

***) A: siquidem significatur.

*****) A: Czeidinensium.

cum ipso transigunt, ut sopita memoria omnium, quae facta essent, vires suas nostris adiungat et contra Sigismundum procedat, quod etiam lubens amplectitur et operam suam promittit vel ideo. Quod hactenus constanter retinisset eam voluntatem, qua corde et omnibus viribus
5 bene vellet Christianis iuxta iuramentum, quo se semel Caesari Romanorum obstrinxisset.

4. eiusdem affluunt prodromi Ungari: Stephanus Tekelius et magnificus dominus Czakius.

5. Adest totus exercitus, metatisque castris circa Veydenbach ad
10 recolligendas vires quiescunt.

6. Hoc die mussitatur, milites improbare pacificationem vel conventionem factam cum Michaeli, nisi vellet dare obsides coniugem et filium atque se ex hoc regno in Valachiam recipere. Etsi vero hoc habere videatur[!] speciem futurae pacis, tamen ego summo concionatori
15 illustrissimi Georgii Bastae generalis, Martino reverendo, significavi, quanto cum periculo nostro id futurum sit, qui sumus vicini in extremo hoc Transsilvaniae angulo, postquam milite amoto se in tuto esse prospexit; sic etiam quovis tempore nos infestabit, ita ut haec profligatio, quae tantis impensis nunc fit, non solum futura sit inutilis, sed etiam summe
20 nociva; consultius igitur fore, ut de terra deleatur. Recepit ille, se illustrissimo generali significaturum.

Intra paucos dies increbuit rumor, immo fama certissima, in propinquo esse Sigismundum cum cancellario regis Poloniae eiusdemque exercitu. Is cupiens irrumpere in Transsilvaniam prius per Moysen
25 Ciculum cum proceribus regni agit de iis, quae factura videbantur ad conservationem patriae hoc modo: Quaerit Sigismundus, an sponte velint sibi concedere habenas regni vel non, adiiciens simul has rationes: Turca se nominans dominum Transsilvaniae et defensorem Polonorum Polonis concessit in compensationem suae fidelitatis Valachiam Transalpinam et Moldaviam, ut adiungantur duo illa regna coronae Polonicae, eaque de causa iam eiectum esse Marcum, quem in Moldaviam collocaverat Michael, postquam eam obtinisset, ac ideo nunc in procinctu esse Sigismundum copiis cancellarii, ut Michaeli quoque pellat ex
35 Valachia collocetque in eius locum fratrem Jeremiae, iam principis Moldaviae, idque viribus Polonorum. Transsilvaniam autem tradidit Turca Sigismundo sibi non solum conciliato, sed modo filio adoptato, ut eam possideat vel sponte concessam vel vi occupatam, ut toto decennio nullum det censum et absoluto decennio praeter decem milia aureorum nihil solvat, immo suum etiam contra Transsilvanos auxilium pollicitus
40 est, si sponte Sigismundo regnum concedere nollent.

His de causis moti totum negotium in deliberationem reiiciunt ac ideo convocant Saxones, ut communibus votis eligant, quod existimarent facturi ad commune patriae commodum.

Interea metuentes Ungari impressionem Michaelis vias obstruunt
45 et castra prope istum locum, per quem Valachiam fuerat ingressus ponunt.

Afluunt ad partialia comitia Saxones, ut vocantur, septem iudices, commorantur autem in urbe usque 17. Octobris. Tunc enim una in castra procedunt de regni negotiis tractaturi.

Die vero praecedente appulit Petrasco, filius Michaelis, obsidis loco
 5 missus iuxta promissiones utrinque factas, ut nimirum non amplius ipsum ut
 hostem prosequantur, sed pacifice regnum suum obtinere patiantur.
 Verum quo animo facta sit ista conventio, vel haec testantur. Sigismundus
 enim quasi nostris invitis aut insciis ipsum adoriri et regno hoc eicere
 conatur. Siculus Moyses se cum suo exercitu, qui ex Polonis mille
 10 equitum constabat, cum nostris coniunxit ac sub illud ipsum tempus,
 quo futurum credebat conflictum, inter Sigismundum et Michaelis copias
 itinera quaevis diligenter observat, ut forte in fugam conversum Michaellem
 excipiat. Ad haec Germanos a suis castris ultra miliare segregant
 Ungari, ne fugientem Michaellem adiuvent. Hinc, inquam, facile est
 15 cuius colligere, non consentire Ungaros cum Germanis in eo, quod ipsi
 pacem colendam esse cum Michaelle voluerant, si non alia, tamen ea de
 causa, quod pollicitus fuerat, se constanter adhaesurum Caesari Romano.
 Quin hoc erat institutum (ut tunc quidem mussitabatur), ut ad Sigis-
 mundum se adiungant eo, quod esset nationis Ungaricae; nequaquam
 20 enim permissuri erant, ut Germanus aliquis Ungaris dominetur. Id olfacien-
 tes Germani abitum parant praetendentes, sibi non solvi stipendia merita.

Proceres regni persuadere conantur Germanis, ne aegre ferant, si
 quae intelligant de inclinatione Ungarorum et totius regni in adventan-
 tem Sigismundum propter Turcam, qui indignationem et arma Trans-
 25 silvanis minatur, nisi hunc ad gubernaculum et principatum admittere
 et sponte recipere vellent. Respondet generalis Basta: „Video ipse, talem
 esse statum huius regni, ut neque ipsa Caesarea Maiestas neque alius
 quisquam illud contra tam potentem tyrannum defendere possit. Do
 igitur consilium, inquit, ut citissime legati expediantur ad Suam Maie-
 30 statem, qui prudenter ipsi exponant singula orentque, ut, si possit de-
 fendere, id faciat et quidem suis expensis, adeo enim esse vastatam
 totam Transsilvaniam, ut neque proprium vel domesticum, nedum pere-
 grinum militem alere possit. His enim rationibus movebitur, ne id reci-
 piat, quod impossibile est, neve permittat, ut tyrannidi Turcae et tam
 35 praesentibus periculis exponat miseram gentem Transsilvanicam“. Plebeis
 vero hoc consilium valde displicuit, verebantur enim, ne Sigismundum
 acceptarent Ungari ac ipsis esset ex regno iterum recedendum absque
 praemio, quod ipsis pollicitus fuerat Michael.

20. Octobris pugnatum est a Polonis contra Michaellem tota die,
 40 et victores fuerunt Michaelle cum paucis elapso. Eodem die subsequitur
 principissa Michaelis secutura filium, sed in castris ab Ungaris detinetur
 toto biduo. Hinc dimittitur Coronam ac in suburbio una nocte in ob-
 scuro hospicio mansit, altera nocte abiit quaesitura filium, quem putabat
 dudum esse trucidatum. Quod vero nulla reverentia et observantia fu-
 45 erunt recepti tam filius, quam mater, in causa fuit Petrus Armenius, qui
 aliquando Michaeli fuerat a secretis consiliis; tunc coepit nostris reve-

lare truculentissimum consilium et institutum tyranni, quod tale fuerat: Cum ex Moldavia reversus Coronam diverteret persuasus a boieronibus Valachis, statuerat illa nocte capere et trucidare primates urbis, omnia diripere ac urbem quibusdam boieronibus gubernandam subiicere, idque
 5 solus Petrus multis argumentis prohibuit. Hinc moti nullo honore dignos existimantes etiam in urbem non passi sunt ingredi. Concludunt interea regnicolae, non esse stertendum, sed omnibus modis persequendum latronem Michaellem, quem antea nominare solebant Mihaly Vayda, ex contemptu nominabant Vaida Malai. In hunc finem omnis praecluditur
 10 ipsi aditus in hoc regnum*).

Dominica 29. Trinitatis, quae erat 29. Octobris ad comitia prius interrupta conveniunt legati, audiuntur et absolvuntur, partim Polonici, partim Turcae.

Poloni expugnata Moldavia et Valachia ac ubique collocatis prae-
 15 fectis, illic quidem Jeremia per Michaellem expulso, hic vero eiusdem fratre, serio hortantur, ut diligenter perpendant et sic consulant regno Transsilvaniae, ne Turcam offendant, qui ad hoc paratas**) suas et Tartarorum copias habeat, ut, nisi in Turcici imperatoris sententiam iverint, hac adhuc hieme impressionem faciant in regnum, id quod etiam non
 20 obscure significarunt Turcici legati. Hinc tale factum est decretum:

2. die Novembris. Quia furcifer ille barbarus nequam irrupit in hoc regnum illudque Caesaris quidem nomine occupavit, hactenus quidem fidei datae satisfacit ac se non dominum, sed locumtenentem nominavit, quia stipendio et pecunia eius militem aluit. Hanc autem fidem ut fide-
 25 fragus violare coepit, quando ferro et igne vastavit omnia, inauditis et plane tyrannicis exactionibus emunxit regnum, ut non iam amplius haberent subditi, unde se alerent, nedum tantam contribuerent summam. Ad haec nobilitatem universam exstirpare contendebat et iam praecipuos trucidaverat, idem iam intentans universis regnicolis brevi tem-
 30 pore Ungaros et Saxones deleturus, nisi sibi in tempore fuga consulissent, ut sibi Valachi gens sordida obtineret. Non multos post dies coeperunt convenire Ungari, qui iam deseruerunt Michaellem, ac de rebus suis consularunt tam diu, donec coniunctis undique viribus in campo [se] collegerunt ac impetrato auxilio ab imperatore
 35 Germanorum contra tyrannum accesserunt tam Ungari quam Germani et iam instructi ipsum Michaellem adoriri et caesa magna parte exercitus in fugam egerunt ac in Barciam usque sunt insecuti, unde dimissus est ad suam petitionem in regnum suum, sed ea condicione, ut mittat coniugem et filium, quem constituerat principem Valachiae, quos etiam
 40 misit. Interea dum putat se securum mansurum in Valachia, accedunt Poloni praecipuo duce cancellario Samoscio et sibi adiuncto Sigismundo Bathoreo ac eiiciunt ex Moldavia Marcum, ex Valachia vero ipsummet

*) F: 15. Octobris huius anni misera Honigberga indefesso studio et celeritate incredibili 4 mensium spatio pulchre reaedificata incendio a Valachis et Siculis deleta est, plena pretiosissimis frugibus.

**) In den Handschriften: paratus.

Michaellem. Etsi autem idem cancellarius a tyranno Turcico id antea obtinisset, ut Sigismundum reconciliatum restitueret in Transsilvaniam stipulatione tali facta, ut, si Transsilvani sponte Sigismundum reciperent, se toto decennio remissurum tributum et post decennium nihil amplius postulaturum, quam datum fuit tempore Solymanni [*polliceretur*], tamen hunc Sigismundum cancellarius non voluit nobis obtrudere, sed iram Turcae esse metuendam [*censuit*]. Igitur sic decernunt: Est servanda fides Caesari data, quia ipsius robore regnum fuisset liberatum ab imperio Michaelis et penitus eiectus*) ex regno. Ne tamen Polonos offenderent, Sigismundum esse amplectendum, ut sic satisfiat etiam Turcae, ne ipse nos infestet. Mittuntur legati ex singulis nationibus et nobilitate Bornamisza Farkas et Lukas Trausnerus, ex Siculis Daczo Ferencz, ex Saxonibus consul Cibiniensis Lucas Enyeter.

Rudolpho decernitur Transsilvania.

15 4. Novembris comitia absolvuntur. Reversi nostri aliquid immutatum esse in decreto referunt, quoniam haerebant inter sacrum et saxum; nesciebant enim, quid metu Turcarum vel favore Germanorum esset faciendum. Sic igitur concluderant: Mittendos esse legatos ad Germanorum Caesarem, ut ipsi primo gratiae agantur honorifice pro
20 misso contra Michaellem auxilio, quo et profugatus esset. Secundo, ut regnum ei deferatur, mittatque, quem velit, gubernatorem vel principem Maximilianum vel alium aliquem, sed ita, ut secum non adferat senatores, sed maneant Ungari in suo quisque loco. Tertio, ut nullas arces**) occupet vel Germanis attribuat, sed Ungaris eorumque praesidiis
25 relinquat. Quarto, privilegia, donationes, religio in vigore suo maneant. Quinto, non pateat ipsi aditus ad regni possessionem, nisi prius nobis pacem constituat, ne vel a Polonis vel a Turcis vel a quibuscunque tandem Transsilvania molestetur, idve sine mora faciat fiatque, ne hac adhuc hieme Turca cum Tartaris impressionem faciat in Transsilvaniam,
30 sicut ad id suis copiis adesse relatam erat, ut, nisi Sigismundum admitterent, absque mora irrumpant et omnia depopulentur, diripiant atque pessumdent. Quare nisi certo haec a nobis averteret, fore, ut prius Sigismundum sibi sint electuri, quam permissuros, ut Turcam habeant infensum.

35 7. Novembris. Hoc decreto facto etiam castra solvuntur, quia cancellarius cum suo quoque exercitu ad mandatum regis in Poloniam se receperat, constituto in Valachia Simeone vaivoda.

Interea Michael in tutum locum se recipiens, cum ei in propria persona non liceret convenire imperatorem Germanorum, de cuius gratia
40 semper bene sperabat, litteris per legatos egit ac facile non solum gratiam impetravit, sed etiam ut auxilio Germanorum in regnum suum eiecto Simeone restitueretur. Copias ad hanc rem nostras petiit, item plumbum et similia pulveresque, quae quidem ad ipsum in magna copia

*) *In den Handschriften*: eiectum.

**) *In den Handschriften*: res.

prope Cibinium sunt missa. Id solum in ulteriorem deliberationem est reiectum, an copiae auxiliares ex Transsilvania essent mittendae. Gratiam hanc ea de causa tam facile impetravit, quia sperabat imperator, se hunc Turcae posse opponere ipsumque abstrahere ab infestatione Germaniae, cui iam imminebat, ac prope ad Viennam accesserat depopulata Styria et Carinthia. Iter tandem capessunt legati designati ab imperatore Germanorum.

27. Novembris adornat Simeon exercitum suum, occursurus Michaeli, verum is denuo fugae se dat, nunc in hoc, nunc in alio angulo delitescit, donec tandem attingit terminos Transsilvaniae in Lugos ac ibi aliqua quidem suorum clade accepta 5-ta Decembris pervenit Varadinum beneficio Germanorum propter rumores de accersendo per Ungaros Sigismundo Bathoreo. Varadino recta pergit postea nemine impediente Pragam usque, ubi ab imperatore honorifice excipitur tractaturque; impetravit insuper potestatem, undequaque conscribendi, quantum potest, exercitum numerosissimum in hunc finem, ut regredi possit in suum regnum Valachiae, nimirum callide scilicet occultans votum, quo aliquando adhuc in Transsilvaniam irrumperere conabatur. Haec de Michaele increbuerunt passim, de nostris vero legatis ne verbum quidem, quae res nostris pariebat suspicionem animi imperatoris erga nos iniquioris.

Anno 1601.

Toto Januario altum est de rebus vel pacem vel bellum concernentibus silentium, mussitatur tantum de accersendo Sigismundo, si iusto tempore et cum exoptato responso legati ex Germania non redirent, 25 idque hac de causa, quod Turcae minae et arma imminerent Transsilvaniae; nisi enim vel hunc Sigismundum vel Hungarum aliquem elegerint, omnino Turcam ferro et igne vastaturum universam Transsilvaniam, iam increbuerat passim.

Februarius. Hoc mense celebrantur comitia Claudiopoli, in quibus 30 tractatur de praecipuis regni necessitatibus, quia periclitari rempublicam verebantur ex eo, quod legati non solum ad tempus praescriptum non essent reversi, sed ne per litteras [quidem], quid boni ab imperatore esset exspectandum, intellectum erat, cum interea quasi prae foribus essent arma Turcarum.

35 Accidit vero, ut in utramque partem consultantibus proceribus referantur pro certo, de quibus prius dubie mussitatum fuerat. Tunc enim novo et manifesto iudicio Deus suam erga Transsilvaniae regnum et ecclesiarum domicilium declarare volens clementiam et benignitatem omnia, quae facile pessumdare regnum poterant, revelavit: 1) Michaellem 40 ab imperatore Rudolpho honorifice esse acceptum; 2) habere ipsum in regno Transsilvaniae fautores et in perniciem nobilium et Saxonum conspiratores.

Ex primo prudenter et vere iudicatum est, a Rudolpho nihil boni esse exspectandum, ac si quidem aliquid esset contra ius regni in le-

non hoc solum requirebat, ut cum exercitibus esset expeditus, sed etiam omnia impedimenta tollerentur, puta nobiles et magistratus Saxonum neci dentur; id quod futurum erat post dies paucos, nisi litterae istae divina providentia fuissent interceptae ac in manus magnifici Czakii
 5 pervenissent. His de causis seperatis custodiis sunt traditi proditores atque in adventum Sigismundi asservandi sunt conclusi. Erant autem capti praecipui capitanei Michaelis, qui vel fraudulenter vel serio desciverant ab ipso, sed tandem ut porro fideles recepti a praedictis proditoribus nobilibus liberi dimissi, immo etiam liberaliter tractati sunt, inter
 10 quos erant Babano Vakus, Zelesti János, Armás Szava et sacrificulus quidam Valachicus; hi quoque examinati deprehensi sunt conscii conspirationis cum proditoribus. Idcirco ad crudelissimam torturam tracti sunt, ex qua Zelestio crura et brachia sunt diffracta, inde sine obligatione in taetrum carcerem detrusus, unde rursus extractus in salinam
 15 vivus deiectus est. Armasius post torturam non leviolem in tale barathrum est coniectus, in quo nec iacere, immo in quo nec commode stare posset. Babano Vakus igne ad mortem usque tostus veruque transversus affigitur. Eandem poenam sensit et sacrificulus.

Dum Sigismundus expectatur, Germanus miles munitiones terminales occupat. Moyses vero excubias numero cum exercitu agens in
 20 finibus regni et simul adventum expectans Sigismundi incipit Germanos non solum ex munitionibus, sed etiam ex regno eiicere, quia pacifice discedere nolebant, quod ipsis erat concessum. Ac primum quidem ex arce Uyvar eiiciuntur, quotquot eo se incluserant, ita tamen, ut iuramento liberi sint dimissi milites; sed quia capitaneus non audebat redire in Germaniam, dati sunt ipsi aliquot jobbagiones et nova arx Gálffy.

Martius 12. Significant veredarii proceribus in aula, iam certo Sigismundum attigisse terminos Moldaviae. Item paulo post confirmat Jeremias, palatinus Moldaviae, suis litteris.

30 24. venit alius, qui ipsum Sigismundum Bistricii reliquisse certo refert atque Claudiopoli affuturum post quatrimum.

Turcicus legatus proceres regni hortatur ad constantiam, ne in dies mutemur et horas, prout hactenus factum esset; sic enim ab imperatore nobis omnia bona pollicetur, defensionem nimirum et firmam pacem.

35 27. die Martis post dominicam Oculi propius Claudiopolim accedens Sigismundus cum paucis sibi adiunctis pleno exercitu est acceptus ac in plenam receptus et introductus est gubernationem.

Aprilis. Die 3. Martis post dominicam Laetare iubilat tota urbs, scholastici albis induti vestibus circumeunt canendo ad laetitiam omnes
 40 excitantes, inflantur tibiae, strepunt tympana, disploduntur duabus horis omnes machinae.

Praecedenti die Claudiopoli expediuntur legati ad imperatorem Turcicum, ut agant de pace, similiter et in Poloniam et alia loca vicina.

Hoc tempore confluunt Germanorum copiae circa castrum Szathmár
 45 expectantes ibidem Michaellem vaivodam, ut, si possent, impressionem

faciant in Transsilvaniam. Conscribitur igitur passim miles Transsilvanus, et accersuntur undique copiae auxiliares, partim a Valachis Moldavisque, partim etiam a Turcis.

10. Comitia celebrantur Claudiopoli, in quibus hoc agitur: Cum
5 propter ingentia pericula, quae imminent a peregrinis et vicinis hostibus, opus sit numero milite et magna vi pecuniae, ea vero a pauperibus non posset extorqueri, maxime a combustis, statutum est, ut universa nobilitas a singulis jobbagjonibus numerarent singuli florenum, non exemptis etiam viduis, quae summa colligi debeat usque ad
10 dominicam Quasimodogeniti. Hac lege tenentur etiam Saxones a suis jobbagjonibus Germanis, Valachis et Ciculis singulos exigere et annumerare florenos; ac illud singulari lege cautum est, ne quisquam nobilem id a suis jobbagjonibus extorqueat ullo modo, sed ex proprio.

Turca quidam primarius Temesvarino missus a Bassa eiusdem loci
15 hanc tantum ob causam, ut oculis suis aspiciat Sigismundum, si hic ipse sit, quem a puero novisset. Atque is ad primum aspectum dixit: „Hanc ob causam ad te sum missus, ut te videam, an tu sis, de quo fama percubuit passim et Bassa est persuasus. Iam te video, agnosco, quod tu sis; nunc meae relationi firmiter credet. Tibi vero, Sigismunde,
20 hoc refero, ductus locis expedita esse milia 50; et si sic se res habebit, quemadmodum se habere nunc experior, in tuum auxilium sunt parata contra quoslibet, qui se tibi sunt opposituri“. Hac ratione memoratus discessit.

Sigismundus hortatur proceres regni, ut sint strenui nec fortunis
25 parcant, futurum enim statum regni post unum et alterum mensem pacatiorem, ac ob id potiores secum retinet, ex Saxonibus iudicem regium Cibiniensem Albertum Hutterum, iudicem Coronensem Valentinum Hirscherum et magistrum civium Segesvariensem his verbis: „Vos esse sine principe non potestis nec princeps sine vobis; ergo indivisi et con-
30 iuncti una maneamus“.

Hoc tempore retulit quidam nostris Coronensibus tunc Claudiopoli subsistentibus historiam de adventu principis Sigismundi in hunc modum: Samoscius, magnus Poloniae cancellarius, qui magno favore et summa benevolentia complectebatur Sigismundum eumque promovere ad suum
35 principatum conabatur, venit in suspicionem nobilitatis Polonicae, ideoque ab ipso postulabatur, Sigismundus ut comitiis ipsorum interesset, quo ex ipso intelligerent, ad quid princeps hic adesset et quid moliretur. Verum cum Samoscius aliquid mali subolfaceret, iussit Sigismundum procul inde diffugere, ne in nobilium manus incidat, se enim tunc non
40 posse ipsum iuvare. Admonitione hac motus fugit Dantiscum, ubi etiam primum litteras procerum ex Transsilvania de electione et revocatione ad regni gubernacula accipit. His intellectis mirabili arte et maxime singulari providentia per Poloniam, habitum et personam dissimulans, sub specie kalugeri missam subinde celebrans, pervenit usque
45 ad terminum Moldaviae, ubi a praesidiariis militibus agnitus sub diligenti custodia observatus est, ac illico ad cancellarium missi legati, in-

tellectum, quid cum ipso fieri vellent, an scitu et permissu regis sit dimissus. Quod fecerunt hac de causa. Cum antea increbuisset rumor, hunc ipsum revocatum iri ad suum licet antea desertum principatum; non quidem obstituri, sed prius de certis condicionibus cum ipso acturi
 5 erant, sub quibus vellent in istam vocationem consentire, fortassis ut se cum tota Transsilvania subiiciat coronae Polonicae. Sed interea dum exspectant reditum suorum legatorum, adveniunt Ungari, qui ipsum excepturi et comitaturi erant undecunque adventantem. Qui intelligentes statum infelicem Sigismundi non solum nunc sub custodia detenti, sed
 10 etiam de vita periclitantis, si forte esset reducendus in Poloniam, rem quidem omnem dissimulant cautissime, interea vero omnem dant operam, ut ex custodia ipsum liberent. Nec incassum laborant. Per fenestram enim extractum noctu suffurantur ac celeri cursu equis ad id prius adornatis eadem nocte iter aliquot milliarium emetiuntur, donec propius
 15 accederent copias palatini Moldaviae ad id quoque expeditas, ut acceptum tuto in Transsilvaniam deducant. Quod et factum est, sed per varia in-via et per angustias periculosas tandem pervenit Bistricium, ut supra mense Martio dictum.

Maius. Die 18. legati ab imperatore dimissi Coronam divertunt.
 20 19. die transeunt copiae Kosakorum et Polonorum per Barciam in castra Bathorii ituri. Consul Cibiniensis secundas partes post Bornamiszzsam Boldisar, oratorem in legatione ad Rudolphum, sustinuerat; hic reversus per Poloniam Coronae haec nobis declaravit de dimissione. Primo honorifice accepti et tractati sunt, quia nuntio de oblato regno Transsilva-
 25 niae et petito ad eius gubernacula Maximiliano gratius eo tempore contingere non poterat; unde etiam facile in tantam invidiam adductus est Michael apud imperatorem, ut non solum eo tempore in conspectum eius venire non permissus, sed procul sine honore ultra Pragam able-gatus sit. Rebus etiam sic integris facile impetrarunt, quod voluerunt.
 30 Verum paulo post, ubi increbuisset rumor de nova Transsilvanorum defectione ac Sigismundi praesentia iamque ad regni gubernacula sedentis, omnia sunt turbata: legati in carceres trudentur, omnia promissa retractantur, ignominiose tractantur legati, et quotquot erant tunc ibidem Transsilvani, man schelt mit Schelmen und Verrätern. Post diuturnam
 35 custodiam vix multis precibus dimissionem impetrant. Consul igitur cum quibusdam aliis, inter quos erat Lucas Trausnerus, vitae suae consulere volens negato ipsis salvo conductu iter ingrediuntur domum versus; remansit tunc Bornemisza Boldisar, donec impetrato pro se et omnibus mercatoribus salvo conductu et ipse cum universis mercibus prius
 40 arrestatis est liber dimissus.

Non tamen haec res nostros securos reddere potuit, verum tanto diligentius in rem et regni necessitates intenti castra metantur ac se quavis fortuna instruere satagunt, ut soli se Germanis opponant, si ita sit necesse. Sed
 o utinam Turca sub specie amicitiae non esset noster infensissimus inimi-
 45 cus; verendum enim est, ne tantisper nobis pacem polliceatur, donec ipse viderit occasionem nos iam securos opprimendi; multi siquidem